

clium Toletanum undecimum, ut habetur dist. 7, *Questione 1*, can. 13 *lib. de divi*, sanxit ut sacerdoti celebranti semper alter assistat, utque « sacrificans habeat post se vicini solaminis adiutorem, ut si aliquo casu ille qui impleturas officia accedit, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, a tergo semper habeat, qui vicem exsequatur intrepidus. » Item iam ante sanxerat Soter Pontifex, cap. *Nuñus Episcopus, De Consecr.* dist. 4. S. plima Synodus vero, ut habetur distinct. 31, can. 24 *In omnibus*, vetat ne clericus solus sine socio cum muliere colloquatur: « Certe solum, inquit, ad solam accedere nulla religionis ratio permittit. Melius enim est duos esse simul, quam unum. Simul enim et fidelius et tutius res geritur. Vae enim uni: quia, si ceciderit, non est qui erigat eum. » Illic quoque Apostoli hinc a Christo missi sunt ad evangelizandum, *Lucæ x*, 1. Concilium Lateranense, de statu monachorum, cap. *Monachi*, ex hae gnome decernit ne monachi soli in villis, oppidis, vel parochiis habitent, sed in conventu, vel cum fratribus: ne, inquit, inter saeculares homines spiritualium hostium conflictum experiantur. Velus est usus ut Religiosi non soli, sed hinc incedant, quo l nuper edito hae de re decreto iussit S. D. N. Urbanus VIII. Unde S. Thomas Aquinas religiosum solum et sine socio vocabat demonem solitariam: patet enim Dominum et demonem insidiis, insultibus, calumniis et sinistris suspitionibus. Exemplum clarum est in Loth, cum Abraham societatem deseruit. « Ecce enim, inquit S. Chrysostomus, homil. 33 in *Genes.*, ut divisus esse a iusto, et putabat se in majore esse ubertate ac copia, ac potiora se assententem et abundante, repente factus est servus; carens domo, carens et foco, ut discas quantum malum sit divisio, et quantum bonum concordia; et quod convenit non majora temere capessere, sed potius humilitas diligenda est. » Ita esse accidit Loth, et ita omnibus illis eveniet, qui ut apud homines crescant et splendeant, alios fratres in opinione misant, et verbis tanquam nube quadam obnubilant. Quid miseri, ut in honore vestiant, honore fratres spoliant? quid insani, ut seipos promoveant, aliorum bonam opinionem convellunt? quid amentes, ut soli luceant, alios obscurant? soli lucere volunt, at non soli lucebant, sed soli sine luce permaebant. Vae autem soli: quia, si ceciderit, non habet sublevantem se. Severum est, sed iustum Domini decretum, ejus iudicia abyssus multa, ut qui se non habitatione, non veste, sed corde et amore a fratribus separant, tempore necessitatis soli relinquantur, et tentationibus absorbeantur: permittit enim Dominus, ut neque exemplis, neque consiliis, neque doctrina eorum proficiant, quos a se per alium et malam voluntatem abjecerunt. Vide nostrum Alvarez de Paz plura incommoda vitam solitaria recensentem, tractat. *De Vita spirit.* lib. II, part. IV, cap. xxiv, et Julium

Nigenium, *Comment. Ascetic. in Regulas crammures Societ. Jesu*, Regula 43.

Hae topologica est solitudo, quam depingens S. Bernardus, serm. *De Fallacia praesentis vitae*: « Eraverunt, ait Propheta, *Psalm.* cv, in solitudine, in iniquo, viam civitatis habitaverunt non invenerunt. Solitudo hae superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari. Litteratus est, odit socium. Fortis est, aut formosus, da ei parem, et contabescit. Solitarius est, sed erroneus, errat in solitudine suo; non enim solus habitare poterit super terram. Nec mirum quod solitudini huic iniquosum additur, ut dicitur, in solitudine, in iniquo. Si enim in solitudinibus aque deesse solent, et loca deserta, sterilia quoque et arida esse consueverunt, sic superbum impenitentia comitatur. Elatum enim eorum durum et expers est pietatis, ignarum compunctionis, sicut ab omni reo gratie spiritualis: quia superbis Deus resistit; humilibus vero dat gratiam. »

Mystice S. Gregorius, lib. IV, in cap. x lib. I *Reg.*: « Vae soli, inquit, quia si ceciderit, non est qui erigat eum. Solus namque est, qui a Deo relictus. Hunc certe cadentem nullus erigit, quia relictus a Deo sanctorum aliquid non assumit. Electus ergo quisque securus ascendit, quia solus non est. Qui enim per nos loquitur, nobiscum est; nam et reprimittit dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Solus quippe non erat, qui dicebat: Solus non sum, sed qui misit me, mecum est. Solus item non erat, qui exquirebat dicens: An experimentum ejus queritis, qui in me loquitur Christus? »

Moraliter, hinc rursus discite quanta sit utilitas societatis et amicitiae. Audi S. Augustinum, vel quisquis est auctor (stylus enim humilior est, quam ut deceat S. Augustinum), lib. *De Amicitia*, cap. v: « Disce, inquit, quid utilitatis habeat (amicitia), cum in rebus humanis nihil sanctius appellatur, nihil difficilius invenitur, nihil experitur dulcius, nihil fructuosius teneatur. Habet enim fructum vite praesentis et futurae; ipsa enim omnes virtutes sua ostendit suavitate, vita sua virtute confodit; adversa temperat, componit prospera, ita ut sine amico inter mortales nihil fieri possit esse jucundum; et homo bestie comparatur, non habens qui secum collecter in rebus secundis, in tristibus contristetur; cui evaporet, si quid molestum mens conceperit; cui communicet, si quid preter solitum sublime vel livosum accesserit. » Probat ex hae Salomonis gnome: « Vae soli: quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se. Solus omnino est, qui sine amico est. At que felicitas, que securitas, que jucunditas est habere, cum quo aequae audeas loqui ut tibi? cui confiteri non times, si quid deliqueris? cui non erubescas revelare in spiritualibus, si quid profeceris? cui cordis tui secreta

committas, et commones consilia? Quid igitur jucundius, quam ita unire animum alterius, et unum efficere de duobus, ut nulla jactantia timeatur, nulla formidetur suspicio, nec correptus alter ab altero dolat, ne laudentem alter alterum adulationis notet vel arguat? » Speciatim vero commoda vite socialis et eoenobitice recenset Thomas a Kempf Theodidactos I part. serm. 2: « Qui inquit, bonae voluntatis est, et Deum querit, inter Deum quereutes amplius proficiet, et firmus stabit. Ibi homo magis in virtute probatur et exercetur. Ibi frequenter de negligentia arguitur. Ibi ad perfectiora verbo et exemplo trahitur. Ibi suam imperfectionem considerare et lugere compellitur. Ibi alterius fervore excitatur, alterius humilitate docetur, istius obedientia, illius patientia movetur. Ibi confunditur inveniri tardior. Ibi invenit quos timet. Ibi habet quos diligit, et sic ex omnibus proficit. Ibi alterius correptio, ipsis fit admonitio. Ibi alienum periculum, proprium efficit speculum. Ibi unus alterius est custodia. Ibi homo portat et portatur. Ibi multa audit et videt, unde docetur. » Prosequitur deinde idipsum luculentius, dum subdit: « Ibi boni commendantur, ut meliores fiant. Ibi negligentes arguuntur, ut reservent. Ibi non permittitur torpescere, nec secundum suum libitum agere. Ibi diversa sunt officia, et multa exhibentur charitatis obsequia. Ibi omnia tempus habent, et ad opus suum quisque ex obedientia vadit. Ibi infirmus a fortiori sustentatur. Ibi sanus infirmum visitans Christo servire letatur. Ibi uno deficiente, alius locum ejus supplet. Ibi sana membra pro debilibus sollicitantur. Ibi activus pro vacante laborat, vacans pro laborante exorat. Ibi homo habet multos pro se orantes, et in extremis se contra diabolum protegentes. Ibi tot auxiliarios invenit, quot socios habet. »

II. ET SI DORMIERINT DUO, FOVEBUNTUR MUTUO: UNUS QUOMODO CALEFIET? — Hebraea et Septuaginta, *si cubent duo, calor erit eis; unus quomodo calefiat? Et si requieverint duo, calefient; Arabicus, et si dormierint duo, erit eis calor et astus; et unus quomodo calefiat? Campensis, si duo simul dormierint, alter alterum calefaciet.* Hoc significat nostrum, fovebuntur mutuo; qui enim alium fovet calore suo, eodem fovetur et ipse: incalcescit enim illo ipso calore, quem in altero conservat, cum jungens eum altero, et tam suum quam alienum adauget: sicut duo ligna ardentia ignem fovet, et in se mutuo adauget, qui in se uno iam meret et existinguerebatur. Unde verit, *si duo simul cubent, plus calor erit eis* alter enim alteri vicissim addit suum calorem, itaque eum conservat, roborat et quasi conduplicat.

Ad litteram ergo et physice gnome hae clara est, intelligiturque ut sonat. In somno enim consistit magna pars sanitatis et roboris animalis. Unde vulgo dicitur: « Somnus nutrit aequae ac cubus, » idque patet in glibus, qui dormiendo

pinguescent; item in ursis, qui magnam hibernam partem dormiendo transigunt, tumque non alio cibo quam somno aluntur, teste Plinio et Aristotele in *Hist. animalium*.

Somnum autem conciliat calor; quare frigidus, ut senes, aegroti, nudi parum dormiunt. Notus est aphorismus Hippocratis, lib. I, cap. xiv et xv: « Evidenter vigilans calidior est exterius, interiorum autem frigidior; dormiens e contrario. » Id in me experior quotidie: noctu enim multas horas pervigilo, eo quod stomachus per senium et studium calore destituitur; qui vero stomachum habent calidum, ut juvenes, totas noctes altum dormiunt. Rursus idem: « Ventres, inquit, hieme et vere calidissimi sunt natura (per antiperistasin enim externi aeris frigidi circumstantis, internus stomachi calor se intendit et roborat, ut externo frigori resistat), ideoque somni longissimi. » Vide Galenum, lib. VI *De Morbis vulg.* comm. 4 et 5.

Sensus ergo est, q. d. Si duo simul cubent, magis calefacient se mutuo, ideoque diutius dormient; solus vero, si frigeat, aegre caleseat ideoque parum dormiet.

Chaldaeus hae refert ad conjuges, quasi Salomon hic Judaeos animales hortetur ad conjugium, ut melius dormiant: « Si vir et uxor, inquit, cubitum discesserint, mutuum sibi hinc calorem praestant: unus autem qui tandem incalcescit? » Alii ut Arias hanc gnomen referunt ad debiles et aegros qui, si foveantur calore secundi, melius dormiunt. Sicut David in senio, cum non posset caleescere, nec dormire, per societatem Abisag Samanitidis et calorem et somnum sibi conciliavit.

Verum generaliter hae paromia grammaticae, sive in cortice litterae loquitur de duobus quomodolibet simul cubantibus, in eodem sine lecto, sive stragulo, sive tentorio, sive cubiculo, uti cubant milites, et Hungari etiam nobiles, qui, ut expediti et fortes sint ad castra cum Turcis bella, scanno vel pavimento pro lecto utuntur: duo enim vel plures in eodem cubiculo cubantes, non solum se mutuo, sed et totum cubiculum suo calore et halitu calefaciunt. Honesti enim et casti ex honestate et pudicitia nolunt in lecto admittere socium, nisi sint conjuges.

Symilice vero et parabolice, hae duorum simul cubantium paromia notat fomentum et auxilium quod amicis ambo praestat, praesertim debilibus et afflicto: afflictionis enim et adversitatis, ac consequenter timoris et tristitiae symbola et cause sunt nox, tenebrae, frigus et vigilia: sicut ex adverso fortitudinis, animositatis et laetitiae symbola et cause sunt dies et lux, item calor et somnus. Id patet in senibus et juvenibus. Senes enim ob frigus debiles sunt, meticulosi et melancholici; juvenes vero ob calorem sunt robusti, rudaces et hilares: quare expedit juvenes jungi senibus, ut illi horum moestitiam sua hilaritate

disceant, illi horum audaciam suo timore et prudentia temperent. Hoc voluit Thaumaturgus dum verit, nam et per noctem honesta libertate festum, et per roctem honesta gravitate fulgent. Dies enim felicibus, nox adversitalis est symbolum.

Rursum haec paremia notat mutuum confidentiam, qua amicus curis et sollicitudinibus astutans, eas in sinum amici deponit, in eoque quasi placide indormit et conquiescit. Ita S. Hieronymus et Lyranus.

Tertio, haec paremia notat fervorem, quo amicus torpidior amici exemplo et cohortatione ad charitatis et virtutum opera inardescit, iuxta illud: « Frigidiores ferventiorum exemplo in virtute incalescent. » Ita Olympiodorus. Idem significat similis paremia Salomonis, Proc. XII, 17: « Ferrum ferro excacuit, et homo excacuit faciem amici sui. » Vide ibi dicta.

Denique amicitiae typus est ignis et calor: quod enim hic praestat mundo, hoc amicus amico. Unde Plutarchus, lib. De Adul. et Amic.: « Sicut, inquit, optimum conditorum est ignis, sic Deus amicitiam vite admiscens, omnia leta, dulcia ac grata, ut essent amico praesente, unaque fruente, fecit. » Et Cicero, lib. De Amicitia: « Amicitia, ait, hoc est vite humane, quod sol est mundo. »

Hanc gnomen elegantii apud et passis apologetis oculis subjicit Cyrillus, lib. II Apolog. mor. cap. vii, cui titulus: Contra appetitum singularitatis: « Apis, inquit, inventiens passerem solitariam, promissa salutatione dixit ei: Ut quid, mi frater, amarum diligis solitudinem, cum amicitiae societas sit tam dulcis? At ille respondit: Nimirum minime placet multitudinis fluctuare procella, vel unus esse de turba. Nonne inter sidera sol est unus, et super omnia unus est Deus? Quo audito, cum subtiliter procedens illa singularitatis ejus superbiam notasset, in hac causa taliter arguendo processit argumentosa: Quamquam unus, inquit, Deus essentialiter sit, comparis tamen trinitatis hypostaticae indivisibili societate gaudet. Sol autem lunam stellarum infumam, ne sit solus, dono lucis efficere sibi sociam splendoris in granditate conatur. Sic et primum mobile cum sit unum, latius primariae communicata virtute, secum ceteros orbis rapit, ne sit in officio suo singularis; quin et universitas mundi cunctarum suarum partium junctura unitatis connectitur, ut nulla earum disjunctionis solitudinem ullaatenus patiat. Nonne anima naturaliter societatis amatrix mox dolet, si vel in puncto suum corpus deseruerit. Cum a principio Deus hominem creasset unum, mox Adam dixisse fertur (Gen. II, 18): Non est bonum esse hominem solum: Faciamus ei adiutorium simile sibi. » Deinde id ipsum exemplo oculorum, alarum, manuum, pedum demonstrat: « Propter hoc etiam duo creati sunt oculi, alae duae, manus totidem, ac pedes dualitate consimiles, ut pluralitate numerum et unitate formarum, membris omnibus ex simili adiutorio sit provisum. Ad quid

nimirum constructae sunt urbes, collectae civitates, legisque foedere adunatae sunt politicae, nisi ut communi obsequioso consortio, non solum sint sufficientes, sed etiam tranquille res humanae? Vae ergo soli, quia, cum instabili pede superbia ventilatus occiderit societate privatus, sublevans adiutorium non habebit. Quia et animalia domestica tuam vitam vivunt: cetera quoque, quantum possunt, naturae politiam colunt; in qui fugit consortium, aut rabiosus est, aut ferus. Fremita vero socius est deorum. Quibus dictis, tristem reliquit solitudinis amatorem. »

Mystice S. Hieronymus per socium accipit Christum, qui instar Elisaei nos peccato mortuos vivificat: « Nisi, inquit, nobiscum Christus dormierit, et in morte quieverit, calorem aeternae vite accipere non valeamus. » Rursum noster Alvarez de Paz, lib. III De Natura perfect. part. III, cap. XXXI: Simul dormiunt, ait, Religiosi, qui in lecto religionis decumbentes, et charitate cooperit, simul orationi et sanctis occupationibus instant; isti enim mutuis desideriis et actionibus incalescunt; solus autem dormit, qui animo ab aliis segregatus orat aut occupatur: non enim habet penes se aliquem amore conjunctum, a quo calefat.

12. ET SI QUISPIAM PREVALEAT CONTRA UNUM (Symmachus, invaluerit super unum), DUO RESISTIT ET. — Hebraea, duo stabunt coram eo, id est contra eum. — Uterque, duo stabunt coram eo, id est contra defensivo, sed et offensivo. Est mihi: per resistunt enim intelligitur: oppugnantur et expugnantur eum. Nam sicut unus fortior prevalet uni minus forti: sic duo minus fortes prevalent uni fortiori alterutri; quia « ne Hercules quidem contra duos; » et, ut aiunt Arabes: « Duo infirmi fortiores saxo. » Unde Syrus et Arabibus vertunt, etsi corroboraret unus, ipsi duo insurgunt adversus eum. Septuaginta Complutensium clare: Etsi victus fuerit unus, duo stabunt contra eum. S. Hieronymus, si robustior inimicus quis contra unum surrexerit, imbecillitas alterius amici solutio sustentabitur: Thaumaturgus, temere ac periculose sibi consuit, qui multos homines multo praesidio circumplexos adortus fuerit. Hinc facit proverbium Hebraeum in Res cheloc in sanhedrin: « Duo arida ligna unum viride exurunt, » id est: « Duo invalidi facile superant unum valentem, si solus sit; » quia « nec flecor quidem duobus par est. »

Chaldaeus hanc gnomen accepit de justis, qui iram Dei conciliatam ab impio avertunt: « Quod erumpat, inquit, vir flagitiosus et potius, cuius reproba opera propensitate quadam frantur in occasionem evadenda in orbem vindictae, prodibunt duo justi ex adverso, qui meritis suis imminuentem hanc vindictam avertunt. »

Verum hic agitur de eo qui resistit irae non Dei, sed hostis invadentis amicum, ut patet ex verbis. Significat ergo tertium emolumentorum societatis et amicitiae, quod est, amicum praestare munus

amico, dum eum contra invasorem tuetur et propugnat, etiam cum vite periculo, iuxta illud Prov. XVII, 19: « Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma. » Vide ibi dicta. Unde S. Leo, serm. 4 De Jejuis, 7 mensis: « Ecclesiasticus miles, ait, etiam specialibus praeliis possit fortiter facere, tutus tamen et felix dimicabit, si contra hostem palam in acie steterit, ubi non suis tantum viribus certamen ineat, sed sub inviati regis imperio, fraternis concitatus agminibus, bellum universale coactus. Minore enim discrimine multi confligit cum hoste, quam sineuli; nec facile patet vulberi locus, quem opposito scuto fidei, non sua tantum, sed etiam aliorum fortitudo defendit; ut ubi una est omnium causa, sit una victoria. »

Hinc Joab ait Absai fratri suo: « Si prevalearit adversum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filii Ammon prevalearint adversum te, auxiliabor tibi, » Il Reg. x, 11. Quia et Seneca, lib. IV De Benef. cap. XVII: « Nam quo alio, inquit, tuti sumus, quam quod mutuis juvamus officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursionibus nostris munitor est, beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? Praeclara animalium et victimae, ac imbecillissimum et facillimum sanguis. Quoniam ceteris animalibus in tutelam sui salis virium est: quae cumque vaga nascuntur, et actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem ceteris fecit: nudum et infirmum societas munit. Duas res dedit, quae illum obnoxium validissimum facerent rationem et societatem. » Unde concludit, plenumque dominium civitatis: « Haec qui par esse nulli posset, si solueretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: Societas terris genitum, in alienae naturae transmisit imperium, et dominari etiam in mari iussit: haec morborum impetus arcuit, senectuti adinvenia prospexit, solatia contra dolores dedit: haec fortes non facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle: et unilatam generis humani, qui vitasustinetur, scindes. »

Hinc patet charitatem et amicitiam, licet non obliget ut quis vitam pro vita amici prodigat, vel periculo exponat, tamen id ipsum permittit, imo suadet; quare generose et perfecte charitatis et amicitiae, aequae ac fortitudinis et magnanimitatis actus erit, si quis id faciat: quia tunc non tam vitam pro vita auiet, quam pro generosis tot viribus discrimini obicit. Majus enim est bonum harum virtutum, quam sit vita. Ita D. Thomas, II II, Quaest. XXVI, art. 4: ibique passim Theologi, ac noster Suarez pluribus rationibus confirmat. Quia et philosophi, qui virtutes christianas et supernaturales non agnoverunt, sed tantum naturales, qualis est civilis amicitia, idem docuerunt, Aristoteles, IX Ethic. cap. VII, Cicero, De Amicitia, Seneca, epist. 9: « In quid, ait, amicum paro? ut habeam pro quo mori possim; ut habeam quem

in exitum sequar, cuius me morti opponam et impendam. » Tales amici inter gentiles fuisse: Pylades et Orestes, Nisus et Euryalus, Theseus et Pirithous, Damon et Pythias, Euergetus et Erychonus, Servius Terentius et D. Brutus, quos recenset Valerius Maximus, lib. IV, cap. VII, quorum unus pro altero ultra se nee obtulit, quod non tantum Philosophi, sed et patres ac theologi dilaudant, ut S. Augustinus, IV Confess. cap. LXI, S. Ambrosius, lib. III Offic. cap. XII, S. Hieronymus in cap. VII Michaeae; sed audi Aristotelem, lib. IX Ethic. cap. VII: « Verum est quod de probo viro dicitur, eum amicorum causa et patriae, multa agere, etiam mors sit oppetenda. » Et inferius: « Qui pro aliis mortui obire consueverunt, eligunt magnum quoddam hoc est sibi ipsis. »

Funiculus TRIPLEX (hebraice שרשול mesculas, id est triplicatus. Est enim paul pial, id est porticum passuum a שרשול scilles, id est triplicavit) DIFFICILE RUMPITUR. — quasi dicit: Funiculus simplex facile rumpitur, duplex difficiliter, triplex difficilissimè: sic et homo, si solus sit, facilis ab hoste vincitur; si cum socio, difficiliter; si cum duobus, difficilissimè. Syrus, filium trinum non cito disrumpitur; Arabibus, filium triplicatum non laecatur subito; Hebraice est, filium triplicatum non rumpitur in festinantia, vel in celeritate; Chaldaeus, quam pulchri sunt tres iusti in generatione, inter quos est pax, sicut funiculus fimbriae ex tribus chordis, qui non cito rumpitur; vel, ut vertit Costus, si miles non sunt propugnaculis triplici ordine, non cito egre expugnari nequeunt; vel, ut alii, sicut catena quae conlorta est ternis funibus, qua non festinatur convellitur. S. Ambrosius, epist. 17, spartum triplex non cito rumpitur.

TRIPLEX, — id est multiplex: difficilissimum enim rumpitur, si sit quadruplex, quintuplex, sextuplex, etc. Unde Symmachus vertit, funiculus triplex, aut quadruplex non cito rumpitur. Dicit tamen « triplex, » tum quia funiculus solet triplicari, id est tribus filis vel licis implecti, ad elegantiam et firmitatem; tum ut notet paucoerum societatem, quales sunt duo, vel tres, esse robustam; tum ut symbola ternarii indicet, de quibus mox; tum quia triplex saepe est tripliciter triplex. Solent enim restiarii primo funiculum ex tribus filis intorquere, deinde funiculum hunc triplicare, ac ex triplici unum contorquere, deinde triplicatum jam rursus triplicare; quin et crassos rudentes, quibus machinae et moles sustentantur, ex funibus parvis saepe triplicatis contorquent. Sensus ergo est, quasi dicit: Sicut funis ex pluribus filis implexus et intortus rumpi nequit, adeoque est validus, ut trabes, saxa et moles ingentes in altum attollat et sustineat, ac singula fila stupea tenuia sint, illicum rumpantur: sic pariter vis duorum vel trium unita, fit bona, vel trina, adeoque valida, ut expugnari franque nequeat. Rursum, sicut funiculi quo magis intorquentur, saepiusque triplicantur, fiunt densiores

et validiores, ut rumpi nequeant: sic quo arborum vel plurium est societas, quoque pluribus et majoribus amoris benevolentiaeque officii necitur et stringitur, eo robustior est et inexpugnabilior, ut patet in acie castrensi rite associata et densata.

Adit S. Bonaventura *triplex* respicere et notare triplex emolumentum societatis jam recensitum.

Exemplum appositum est in Sciluro Snytha, qui moriturus, convocans filios 80, cum ipsi fasciculum jaculorum ab eo jussi frangere non possent, sed sigillatim unumquodque facile rumpere: «Pari modo, inquit, si concordēs fueritis, validi invictique manebitis; si dissidii dissociemini, inbecillēs eritis, et expugnati faciles.» Ita Plutarchus, *Apophth.*

Moraliter, funiculus triplex significat perfectam amicitiam inter paucos, puta inter duos vel tres consistere: hi enim imitantur SS. Trinitatem, in qua trium personarum summa est unitio et concordia, quae inter plures solet languescere vel evanescere. Ita Auctor lib. *De Amicitia*, tom. IV S. Augustini, cap. v. Hinc Christus, *Matth. xx:* «Ubi, ait, fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.» uti tribus pueris in fornace Babylonia, in Dei fide et laude consentientibus et constantibus accessit «quartus similis Filio Dei,» *Daniel. in, 92.* Ad hoc significandum, ut recte notat Pineda, a Poetis finguntur Gratiae tres, quod tribus maxime videatur coalescere et conservari amicitia: nam et tertius amicus interveniens solet tollere omnem quotidiani convictus cum uno et eodem societatem; tum etiam exortientes saepe solet expostulationes, et suspiciones inter amicos duos, facile sedantur et componuntur tertii interventu, hortato et iudicio.

Symbolice primo, funiculus triplex est Sanctissima Trinitas, ait S. Paulinus, *epist. 4 ad Severam*, quae est fons omnis societatis, amicitiae et concordiae, adeoque prima insolubilis et increata societas, et charitas, ideoque invictissima, quae omnia domat et subigit. Ita S. Ambrosius, *epist. 47:* «Spartum triplex, inquit, non cito rumpitur. Tria enim quae non sunt composita non rumpuntur. Trias in compositae naturae rumpi non potest, quia deus unum est et simplex, et incompositum est quicquid est.» Adit Hugo Cardinalis potentiam Patris, sapientiam Filii, bonitatem Spiritus Sancti, quo triplici funiculo diabolus ligatus est, ut non possit nocere nolentibus. Accedit S. Basilus, qui lib. *V Contra Eunomiam* volentem dissociare Sanctissimam Trinitatem, et Patrem a Filio ac Spiritu Sancto: «Trinitas, inquit, non dirumpitur, et est colenda in una et aeterna gloria, eadem unam et solam deitatem ubique circumfrens, irrupta, insecissa, indivisibilis, adimplens omnia, omnia continens, in omnibus existens, aeternis, gubernans, sanctificans, vivificans. Hic

divinus et maxime admirandus nexus non dirumpitur, ut scriptum est: Funiculus triplex non dirumpetur.» Porro R. Johannam apud Galatinum, lib. VI, cap. x: Funiculus triplex, inquit, hoc est mysterium Dei unius et trini, non cito rumpitur, hoc est, non facile disculitur et enucleatur.

Brachmanes, sive Gymnosophilae, apud Indos gestant funiculum ex tribus aliis contortum, quorum singuli rursus tribus lias constant, ad tres personas in Saceta Trinitate significandas; ut unam esse naturam deitatemque indicent, extrema funiculi inter se uno nodo constringunt, uti referant Maffeus, Osorius et alii de rebus Indicis scribentes, ac Perpinus, *orat. 8 De Deo trino et uno.* Porro mysteria ternaria plura recensit *Amos cap. 1, vers. 3.*

Secundo, S. Hieronymus per funiculum triplicem accipit Sanctissimam Trinitatem, quatenus nos munit et roborat; item Christum, cuius sodalitas nos omnibus hostibus superiores efficit: «Melius est, inquit, in se habere Christum (seu socium), quam solum patere diabolo; quod si et Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus advenierint, non cito rumpetur ista sodalitas.» Sic et Solonius.

Tertio, alii accipiunt Incarnationem, in qua rarefissimo nexu conjuncta sunt tria, puta anima, caro et Verbum; ac licet in morte Christi duo priora soluta sint, non tamen ab his tertium, puta Verbum, separatum est: et post resurrectionem redditus est funiculus triplex indissolubilis.

Tropologiae primo, S. Gregorius, *XXXIII Moral. cap. ix*, vel juxta aliam editionem *xii*, per funiculum triplicem accipit fidem SS. Trinitatis: «Quia fides, inquit, quae de cognitione Trinitatis ab ore praedicatorum textitur, fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur.» Et S. Iudorus in *Exod. cap. xlii:* «Funiculus triplex non rumpitur, inquit, quae est SS. Trinitatis fides, ex qua dependet, et per quam sustinetur omnis Ecclesia.»

Secundo, S. Bernardus, *serm. 16 in Cantico*, per funiculum triplicem accipit tria praecipua hominis membra, puta cor, os et manus, quae inspirata a Spiritu Sancto conspirant in bonum: «Hoc semel, inquit, contulit universitati, hoc quotidie singulis in nobis acriter sentimus, et cordi scilicet tribulatio intelligentiae lumen, et ori edificationis verbum, et manibus opus justitiae. Dat sentire fideliter, dat proferre viriliter, dat efficaciter adimplere. Et est funiculus triplex qui difficile rumpitur, ad extrahendas animas de carcere diaboli, et trahendas post se ad regna caelestia: si recte sentias, si digno proloquaris, si vivendo confirmas.»

Rursus Olympiodorus accipit animam, corpus et spiritum, quae tria oportet connectere, et innectere Dei cultui et obsequio, ut docet Apostolus *I Thessal. v, 23.*

Tertio, S. Hieronymus accipit fidem, spem et charitatem, in quibus consistit vera Dei religio. Sic et S. Paulinus, *epist. 4 ad Sulpitium*, ubi mo-

net ut hoc triplici spatio texamus opera nostra. Alii ex adverso referunt ad triplicem concupiscentiam, scilicet carnis, oculorum et superbiae, quae, cum necantur, difficile rumpuntur, quibus brevitas fuit Eva. Ita S. Bernardus, *serm. De Anxietatibus.*

Quarto, Hebraei carnales apud Galatinum, lib. II, cap. 1: Funiculus triplex, inquit, est amor firmissimus inter maritum, uxorem et prolem.

Quinto, alii accipiunt tres partes penitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem, ex quibus funis gratiae et charitatis conflatur. Rursum Hugo Cardinalis: Funiculus triplex, inquit, est charitas quae tribus quasi partibus impletur, quae sunt rectitudo, amplitudo et fortitudo dilectionis. Amplitudo, ut omnes, etiam inimicos sine charitatis amplectatur, juxta illud Christi: «Diligite inimicos vestros,» *Matth. cap. v*; fortitudo, ut pro Deo suo omnia pati et mori non dubitet, juxta illud: «Fortis est ut mors dilectio,» *Cant. cap. vii.*

Rursum funiculus triplex est charitas ex triplici quasi fune composita, quae scilicet Deum propter seipsum amamus, et proximos propter Deum diligimus, et nostram salutem propter ipsum Deum amore complectimur: quae proinde non facile tentatione ulla superatur, ac proinde par est ut proximis mutuo amoris nexu iungamur, quorum viribus summi adversarios quosvis vincamus.

VER. 13. 13. MELIOR EST PUER, PAUPER ET SAPIENS REGE

SENE ET STULTO, QUI NESCIT PRAEVIDERE IN POSTERUM.

Thalmodici in *Midas* censent hic opponi genios, sive spiritus et angelos homini a Deo assignatos, unum bonum, qui notatur hic per puerum pauperem et sapientem: vocatur puer, eo quod post 14 aetatis annum homini se insinuet; alterum malum, qui notatur hic per regem senem et stultum, eo quod antiquior sit, et a nativitate homini adsit, in coque regnet. Vocatur stultus, quia rationi et sapientiae adversatur; facit enim ut infans non nisi escam et sensibilia bona cogitet et appetat: verum hic sunt Thalmodicorum aenigmata. Fuit tamen multorum Hebraeorum, Graecorum et Latinorum olim opinio, homini ab origine dari duos angelos, bonum et malum, uti alibi dixi, eandemque ex R. Barachia tradit hic S. Hieronymus. Idem S. Hieronymus addit tres alias expositiones: *primum* Thaumaturgi, *q. d.* Praestat sapiens, licet puer et pauper, stulto, licet is rex sit et senex, quod hic saepe regno excidat, ille ad regnum extollatur; *secundum* Laodiceni, *q. d.* Praestat pater sapiens future vite bona et mala praeviciens, quam rex stultus qui futura non cogitans, praesentibus et caducis, quasi magnis et perpetuis delectatur; *tertium* Origenis et Victorini, *q. d.* Puer pauper et sapiens est Christus, de quo Isaia, cap. iv: «Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis:» rex senex et stultus est diabolus, qui in hoc mundo ab ejus origine mundanis

quasi rex imperat. Verum hoc tertium mysterium est, secundum vero tropologium, primum litterale et genuinum.

Cajetanus more suo acute haec refert ad funiculum triplicem, quem, inquit, si impletas ex pueritia, paupertate et sapientia, robustior erit, quam si alium triplicem ex regno, senio et stultitia. Verum haec subtilior quam solidior est expositio.

Dico ergo plane et genuine per antithesin conferri et praeferi hic sapientiam stultitiae, etiamsi principatu et senio ornata, quibus ille caret. Sensus igitur est, *q. d.* Tanti est sapientia, et sapiens, etiamsi pauper et puer, ut praestet stultitia et stulto, etiamsi is rex sit et senex. Sapientia enim laque excellens est, ut pueritiam et paupertatem, quae videntur aspernabiles, faciat commendabiles; insipientia vero etiam regiam et senilem dignitatem, quae per se laudabiles sunt, facit vituperabiles: quare saepe fit ut juvenis pauper ob prudentiam evehatur ad regnum; rex vero senex et stultus ob imprudentiam eo dejiciatur, uti explicat versu sequenti: eo enim pertinent hic versus et duo sequentes. Sapientia ergo est velut aurum, quod s'es, stannum ceteraque metalla inaurat, factique aurata et quasi aurea; imo ipsa est instar lapidis philosophici, quo alchimistae perhibent se esse aliaque metalla convertere in aurum; simili enim modo sapientia paupertatem et juventutem, quae in se viles et insipientes sunt, decorat et quasi inaurat, imo in se se suamque dignitatem transmutat, dum ea velut informat et animat, ut videntur sapere esseque sapientia. Unde ipsa a lingua infantium facti disertas » *Sapientia, x, 21*; pueros vero per Dei timorem et amorem (hic enim est praeterea veraque sapientia) facit similes regibus, imo Verbo Dei quae Filio, ideoque haeredes gloriae et regni sempiterni. Vice versa, stultitia regiam et senilem dignitatem, quae instar auri refulget, dedecorat, ac in se velut in vile aes, aut plumbum commutat, dum per superbiam, avaritiam, similitudinem impietatem, reges stultos et impios dejicit in terram, ac deinde in tartara, eosque facit folles et fomenta gehennae.

Transit a vanitate solitudinis et solitarii, per antithesin, ad vanitatem regni et regum, hi enim minime sunt soli, quia abundant famulis, multibus et sequacibus.

Alludit Salomon ad se, seipsumque hic tacite pingit; ipse enim puer creatus est rex, scilicet anno 12 aetatis, ut vult S. Irenaeus, *epist. 3 ad Magnesianos*; vel potius, ut Pineda et alii, anno 18, tumque opibus fuit exiguis, et quasi pauper prae opibus, quas senex habuit; sed tamen ob sapientiam illi inditam praestantior fuit Saulo, rege seno et stulto. Imo Salomon puer sapientis praestantior fuit seipso jam seno et stulto; tum enim per luxuriam et idololatram desipuit, seque et regnum perdidit, tumque Deus ad regnum decem tribuum evexit Jeroboam juvenem

tenas fortune, sed sapientem, id est strenuum et industrium, III Reg. xi, 27.

Significat ergo hæc gnome primo sapientiam juvenum et pauperum prestare regno senum insipientium; secundo, sapientiam acui tum juvenile, tum paupertate: juvenus enim acri est ingenio, animoque vivido et generoso, adeoque ingua meditat et sperat, magnaque molitur ut sese promovat et evehat. Talis fuit Hermogenes qui, anno 15 ætatis, tante fuit sapientie et eloquentie, ut ad eum audiendum Antoninus Imperator ventilet; unde illud: « Hermogenes inter pueros senex. » Rursum, juvenus est simplex et candida, ac modesta et humilis, præsertim si sit tenuis fortunæ et pauper, ideoque capacior sapientie. Unde Philosophus: « Paupertas, ait, est reparatrix sapientie. » Hinc Socrates, Diogenes, Crates pluresque alii contempserunt divitias, ut philosopharentur, et expeditus liberisque vacarent sapientie. Paupertas ergo et juvenus acunt sapientiam. Ex adverso ætas et opes, præsertim in regibus et principibus, obtundunt sapientiam; sunt enim occasio gula, luxurie, superbie, que hominem infatuant. Hinc tertio, significat reges sepe in senio infatuari, partim quia per opes delictis, ventri et veneri per omnem fere vitam vacaverunt; partim quia ex diuturnitate regnandi, fiunt nimis securi, superbi et tyranni, ideoque populo exosi, qui proinde non raro eos throno deponit, et alios sibi principes creat. Unde pro stulto hebraice est כְּכֵל קֵסֵל, id est vanus et inconstans, qui mutatur ut luna: sic enim rex insipientis mutatur, tum per varias cogitationes et desideria, quibus instar Euripiæ estuat; tum per varias fortuna vices, quas vite hujus mutabilitas parit: quales sunt populi murmura, seditiones, tumultus, quos cum providere nesciat, vel negligat, et secure et oscitantur regno tot annis possessio indormiat, illo subinde spoliatur.

Exempla sunt, primo, in Saule, qui juvenis et pauper sapuit, ideoque evehctus est ad regnum; sed senescens, per presumptionem, arrogans sibi jus sacrificandi, desipuit, ideoque regno dejectus est. Unde audivit a Deo: « Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israelis factus es? » I Reg. xv, 17.

Secundo, in Davide, qui juvenis et pauper, puta pastor ovium; sed sapiens, innocens et sanctus, Sauli seni, superbo et stulto in regno surrogatus est. Idem tamen senescens, factus insolens, adulterium et homicidium commisit, ac regno pene per Absalonem filium dejectus est. Sic et Cyrus, inter pastores enutritus, sua juvenili solertia et fortitudine paravit sibi regnum Persarum.

Tertio, in Salomone, qui Davidi seni juvenis successit, floruitque sapientia et sanctitate; sed senior factus, super omnes desipuit per luxuriam et idololatriam.

Quarto, in Jeroboam, qui juvenis, pauper, profugus et exsul, sed prudens et sagax, creatus est

rex Israelis. Verum senescens vitulos aureos erexit, et idololatriam in Israel emixit, ideoque regno, vita et stirpe privatus est.

Quinto, in Joseph, qui juvenis sapiens inclusus carceri futuram famem prævidit, et Pharaoi ignorantia prædixit, ideoque princeps Ægypti creatus, toti Ægypto, mox orbi in fame de alimentis prospexit; ad Joseph enim hic alludi patet ex vers. seq.

Sexto, Chaldeus exemplum statuit in Abraham et Nemrod; sic enim verit: « Abraham qui fuit pauper, et erat in eo spiritus sapientie a facie Domini, et cognovit Creatorem suum, cum esset ætatis trium annorum, et noluit servire idolis, melior fuit Nemrod impio, qui fuit rex senex et stultus. Et quia noluit Abraham servire idolis, projecerunt eum in medio fornacis ignis succensi, et accidit ei miraculum a Dominatore sæculi, et liberavit eum inde, et postea non fuit scientia in Nemrod, ut admonitus esset deinceps, ut non serviret idolis quibus antea serviebat. » Verum horum fides sit penes Chaldeum.

Donique significant hæc gnome reges et principes decere, ut sint pauperes, id est pauperitatis et pauperum amatores, ne, si avaræ opibus inhiant, subditos expilent, et pauperes opprimant. Ita Moses, Sammel, Saul et David initio regni facte pauperes; ac de rege sancti bens, Deuter. xvii, 17: « Non habebit uxores plurimas, que allicitant animum ejus, neque argenti et auræ immensa pondera. » Nam mulieres et opes nimis pericidere Salomonem. Sic pauperes adeoque agricola facte Romulus et Remus Romæ conditores, Camillus, Fabius, Atilius, Cincinnatus, Scipio ejusdem principis et dictatores, ceterique quos recenset Valerius Maximus, lib. IV, cap. iv. De Mecæno Cæsaris Augusti amico et principe scribit Dio, lib. XX: « In re familiari summa pars-imonia usus est, et in re publica liberalissimus exsistit. » Lycurgus, Sparte legislator, sanxit ut principes æque ac cives odissent avaritiam nimiasque opes; sic enim illius imperium æternum fore. Idem in principe christiano requirit S. Ambrosius, lib. I Offic. Historie Indicæ narrat apud Peranos Ingas reges, antequam regum inean, per dies aliquot lacris indutos vestibus, velut pauperes et mendicos per urbem incedere, ut indicent paupertatem et pauperes sibi coram coram esse et fore. Simile est in auguratione archiducis Carinthiorum. Archidux enim inaugurandus rusticano vestitu incedit, quem ubi rusticus et saxo conspiciatur, rogat quis ille sit; respondet asselle esse archiducem, ac post nonnulla ultro citroque dicta, rusticus archiduci levem dans colophum, jubet ut velut princeps legitime jus dicat; princeps vero rusticus vestes suas donat: quod indicium est primitivum non nisi agricolam fuisse electum in archiducem. Ita Æneas Sylvius in Descript. Europæ, et ex eo Petrus Gregorius, lib. VII De Republica, cap. xv, num. 13.

Revera pauperitatem, cur?

QUI NESCIIT PROVIDERE IN POSTERUM. — Ostendit in quo stultitia regis senis sita sit, nimirum in improvidentia; sapientia enim regis est providentia qua tam sibi, quam regno in futurum prospicit: sibi, ut se in regno confirmet, rotas populi compescat, conatus exterorum, regno inhiantium dissipet, ceteraque omnia sibi noxia quasi et specia prævideat et discutat; regno, ut annona sit sufficiens, ut scelera et rapine arceatur, ut pax inter nobiles et plebem conservetur, etc. Unde S. Hieronymus verit, qui nescit præcavere vicissitudines; Thaumaturgus, cui nunquam in mentem venit tanquam fieri posse vicissitudinem.

Pro providere hebraice est הוֹרָה hisar, quod Noster varie variis in locis verit, scilicet, fulgere, observari, præoccupare, cavere, custodire; Septuaginta nunc verunt, fulgere, ut Daniel. xii, 3; nunc distinguere, ut Ezech. xix, 20 et 21; nunc custodire, ut Psalm. xviii, 12; nunc præcavere, ut hoc loco; nunc significare, ut Ezech. xxxiii, 3; nunc præmutare, ut Ezech. xxxiii, 9.

Proprie hisar est splendore: unde הוֹרָה schar vocatur claritas, splendor, fulgor; inde significat admonere seipsum, admoneri ab alio, alteriusque admonitionem recipere, ut verit Pagninus, Campensis, Tigurina et alii (unde verunt, qui admonitionem amplius non admittit); inde providere, præcavere, circumspicere esse, monere, docere, insinulare, quia salubris admonitio est quasi quedam illuminatio, splendor et filigratio, id est prænnuntiatio et prævisio futuri; eadem est quasi radius et fulgor quidam prudentie et providentie. Qui enim regno diuturno superbiens non vult moneri, sed momentis spernit et odit, sepe in rebellium vel hostium insidias incurrit, et vita renoque spoliatur. Unde Chaldeus verit, et ultra hoc non est cognitio ut admonetur amplius; Symmachus, qui nescit præcavere vicissitudinem; Syrus, qui nescit cavere amplius; Arabicus, non cognovit quæ revertetur in semetipsum.

Igitur improvidentia hæc in rege senes et stulto nascitur ex diuturna felicitate regnandi: hæc enim eum ita inebriat, ut dementet; præterite enim fortune memor, future immemor, presentis incerte quasi certe securus incubat, itaque facile insidiis emulorum et hostium patet, hisque ex improvise obruit. Felicitas enim factis eorum et superbium, ut neminem patet sibi posse resistere: eadem cum senio facit eum oscitantem, et negligentem ad providendum, juxta illud: « Bis pueri senes; » et: « Delirus senex. » Ex continua enim regni prosperitate, ita segnitur et secure degit, ac si rote fortune et felicitati regni sui clavum infixisset, cum ex adverso nullum majus regi et regno sit periculum, quam a nimia securitate et prævidentia: hæc enim negligit prævidere insidias, machinationes, tumultus, bella aliaque adversa sibi regnoque imminuta, ideoque pariter negligit providere remedia ad ea præcavenda vel aver-

lenda: hoc dum vident amuli et hostes, incautum et securum per vim et dolum invadunt et opprimunt, uti quotidiana doctæ experientia.

14. QUOD DE CANERE CATENISQUE INTERDUM QUIS EGREDIATUR AD REGNUM: ET ALIUS NATUS IN REGNO INOPIA CONSUMATUR. — « Quod, » hebraice כִּי הִי, id est quia, quoniam. Dat enim causam, cur puer pauper, sed sapiens, melior sit rege senes et stulto, eo quod ille per sapientiam subinde etiam carcere, hoc est ex imo loco et statu evehat ad regnum; hic vero regno dejectatur, et ad inopiam statum vitæque redigatur. Natus enim in regno, idem est quod natus parente rege, regio sanguine prognatus: hic enim opponitur servo incarcerationato, qui patre servo progenitus ascendit ad regnum (1).

Alludit ad Joseph qui et carcere ob sapientiam et provisionem future famis evehctus est ad principatum Ægypti, Genes. xli. Vice versa ad Salothia rex Juda, a Chaldeis captus, exvehctus, vinehctus ductus est in Babyloniam, IV Reg. ij, et Nabuchodonosor natus in regno, id est filius regis, puta Nabuchodonosoris senioris, et in regno per triginta et plures annos confirmatus, ob insipientiam et superbiam regno, imo humana forma dejectus, multatus est in bestiam, Daniel. iv, 30. Sic Servius Tullius, quartus a Romulo Romanorum rex, a servo (unde dictus est Servius) evehctus est ad regnum. P. Ventidius a Pompeio captus, et carcere prodit Imperator exercitus Romani, ac victor de Partibus triumphavit, teste Valerio Maximo, lib. VI, cap. x. Simile contigit Cato Mario, qui de Cimbris triumphum egit. Huc facit quod scribit Heracleides in lib. De Politia, in Gymnasium politia: Lydii, inquit, cum gravi dominatu premebantur, et audissent Cynum quemdam esse præstantem, missa legatione, in regnum accesserunt, et in officina fabri plaustrarii servum inventum cum servitute, pretio soluto, assumpservit. Similia recenset Lucius Florus, lib. II, cap. xix, et Paulus Æmilius in Dione. Plura exempla ex Plinio recensit Eccl. x, 28, ad illa: « Servo sensato liberi servient. » Vere Plutarchus, tractatu De Preceptis gerenda republica: « Servire qui nescit, inquit, dominari non potest. »

Huc facit ille Saccorum dies traxerit apud Persas, quem ita describit Dio, orat. 4 De Regno: « Accipit unum ex captivis ad mortem, collocantque in regis thronum, et eundem illi dant vestitum regium, et imperare sinunt, ac vivere et deliciarum et concubinis uti illis regni diebus, et nemo illum velat quidquam facere que velit; post hæc autem extum, virgisque cæsum, suspendunt. » Deinde causam et significationem putus moris et ritus auferat dicens: « Cujus rei hujus hoc esse signum, et quamobrem fieri apud Per-

(1) Hebr. est, nam exiit puer ille sapiens et domo vinciturum (carcere), ad regnandum, etiam in regno suo, id est in terra cujus rex constituitur, natus erat pauper.

Serri e-
scribit ad
regnum.

est? nonne ideo quod saepenumero stulti homines et pravi lateo potestatem et nomen adipiscuntur, deinde aliquanto tempore viventes turpissime atque oecissime perduntur?»

Huc alludens Barlaam, Josaphat regi simili parabola vite hujus vanitatem et fallaciam ad vitam representat apud Damascenum, in *Histor. cap. xiv.*

Porro Chaldaeus Complutensium (nam in Regia haec sceicosa sunt) pergit haec adaptare Abraham et Nemrod: «Quoniam, inquit, provincia idolorum egressus est Abraham, et regnavit super terram Chanaanorum; et in diebus regni Abraham factus est Nemrod pauper in saeculo: » ubi «regnavit » idem est quod dives et potens effectus est; amplam enim Abraham habuit familiam, in qua quasi princeps regnabat; unde ex ea eduxit 318 milites, quibus quatuor reges profligavit, et Loth ab eorum manibus liberavit, *Genes. cap. xiv*; alioqui certum est Abrahamum non fuisse regem super terram Chanaan. Rursum, quod Nemrod factus sit pauper incertum est; nam nusquam id legitimus. Haec quoad lectionem vulgatam.

Hebraea enim, Septuaginta et Syrus, Arabicus, Paganus, Vatablus et caeteri hebraizantes non habent *et alios*. Unde sic sonant, *Quoniam de domo vincitorum prodit ad regnum, quia etiam in regno ejus natus est pauper*; quod totum nulli de uno et eodem accipiunt, varie vertunt et explicant; sed communiter sic, ut per eirerem accipiant utrumque, *q. d.* Rex quoque dum nascitur ex utero matris, quasi ex carcere prodit victus et miser, post secundum religatus: nudus et pauper sicut caeteri homines: quos hujus conditionis suae memor in regno non inoleat, nec se super alios superbe efferat, sed modeste se gerat ne regno deiciatur, et ad primam nullitatem et inopiam relegetur. Ita Olympiodorus, Aben-Ezra, Vatablus, Osorius et caeteri.

Verum hanc nomen non de uno et eodem, sed de duobus invicem oppositis intelligi patet: *primo*, ex eo quod de causam versus praecedentis, cur scilicet melior sit puer pauper, sed sapiens, rege senex et stulto. Causa haec est, quod scilicet ille subinde per sapientiam ad regnum evehat, hic autem eodem ob insipientiam deiciatur, eo quod imprudenter, superbe et injuste regnari. *Secundo*, ex Chaldaeo qui haec de duobus, puta Abraham et Nemrod accipit, et ex Symmacho, qui verit, *alter enim exit de carcere ad regnandum; alter vero cum esset rex natus, paupertate oppressus est*. *Tertio*, ex S. Hieronymo qui in veteri sua editione ex Septuaginta sic verit, *quoniam de domo vincitorum egreditur, ut regnet, quia etiam in regno ejus natus est pauper, q. d.* Rex senex, sed stultus, non advertit fieri posse ut aliquis ex his quos ipse vincerat, exeat ad regnum et carcere, ipse vero de regno exidat, quod insipienter ac injuste gessit.

Unde mystice S. Hieronymus per puerum sa-

piem et pauperem accipiens Christum, per regem senem et fatum accipiens diabolum, sic explicat: «Iste (Christus) natus est in regno senis (diaboli, qui ante Christum regnabat per infidelitatem in mundo), et ideo dicit: Si esset de hoc mundo regnum meum, ministri utique mei certarent pro me, ut non traderet Judaeis; nunc autem non est de hoc mundo regnum meum, *Joan. xviii*. In illius Barque stulti senis regno, qui ostendit ei omnia regna mundi et gloriam ejus, natus optimus puer de domo vincularum (de quibus Jeremias in lamentationibus loquitur: Ut humiliaret sub pedibus ejus omnes vinclos terre, *Theo. iii*), processit ad regnum, et abiit in regionem longinquam, et contra eos qui super se regnare volebant, post aliquantum temporis rex reversus est. Praesago itaque spiritus vidit Ecclesiastes omnes viventes, qui possunt adolescentis participes esse, dicentis: Ego sum vita, *Joan. cap. xiv*, veteri stulto rege dimisso, Christum sequi. Simulque duo ex Israel populi significantur. Prior qui in adventu Domini fuerit, et posterior qui Antichristum pro Christo suscepturus est: quod prior non penitus sit abjectus. Prima quippe Ecclesia ex Judaeis et Apostolis congregata est, et in fine Judaei, qui Antichristum pro Christo suscepturi sunt, non lababuntur in Christo. »

Moraliter, discit hic vanitatem regnorum et regum, ex eo quod inflatae sortis homines, puta servi et incarcerati, subinde e vinculis exalterant ad regnum; reges vero regumque filii e throno ad inopiam statum locumque deiciuntur. Haec enim est fortunae inconstantia, haec vite hujus instabilis alea, haec regnorum mutabilis vicissitudo. Sicut enim mercatorum sepe hic solet esse exitus, ut bonis cedant, navigantium, ut submergantur: ita qui diu rempublicam administrat, sinistrum aliquem casum suscinere cogitur; casum, occasionem patiens consolationis loco repetat illud Macrochii:

Non possunt primi esse omnes omni tempore,
Summum ad gradum claritatis cum veneris,
Consistes aegre, et citius quam descendas decedis.
Cecidi ego, cadet qui sequitur, laus est publica.

Parva enim, ait Polybius, temporis intervalla in excelsio fastigio collocant, et eosdem rursus ad extremam miseriam ac calamitatem redeunt, atque eos maxime qui in aulis principum vitam agunt. Hi enim similes sunt calcatis, in publicis consiliis dari solitis. Nam ut illi modo enei, modo aurei dantur: ita aulici pro regis voluntate, nunc beati, nunc miseri fiunt. Agestianus ad huc puer cum in gymniciis ludis loco parum honorifice locaretur a throno magistro, licet rex declaratus esset, parvi dicitur: «Ostendam non loca viris, sed viros locis dignitatem conciliare. » Seneca, lib. *De Tranquillitate*, cap. iii: «Officia si civis auiserit, inquit, hominis exerceat; » et an-

Moraliter de vanitate regum.

terius: «Habet ubi se, etiam in privato lare explicet magnus animus. » Et inferius sapiens et providum dat consilium: «Non exspectes, donec res te dimittant, sed ab ipsis te ipse disjungas. » Ut illis est *frae mutatio*: nam, ut ait Mantuanus:

Pluribus excelsa, vel opam, vel honori ab arce
Profluit, ad modicis sortis coecidisse quietem,

in qua, ut ait Poeta:

Gaudebis minus, et minus dolebis.

Et hoc modo vilis mundus redditur iis qui aeternum spectant; decepti enim a vanitate mundi, quaerunt veritatem veraque bona in caelis, dicuntque illud Poetae:

Inveni portam; spes et fortuna, valate:
Nil mihi vobissem, lucite nunc alios.

Cogitantque illud Seneca in *Hercule furente*:

O fortuna viris invida fortibus,
Quam non aequa bonis praemia dividis?

Et illud Lucretii, lib. V *De rerum natura*:

Namque hos e summo quasi folium dejecit lectus
Invidiis, interdum contemptum in tartara terra.

Sic Iherimas Antiocho in deliciis, eo spectante et probante, oecisus est, ait Polybius lib. VII. Sejanus, Tiberii collega, haec ab eo sententia multatilis est: «Sejanum capite plecti placet, corpus in Gemonias projici, ejusque liberos omnes interfici. » Ita Dio in *Tiberio*. Plautianus Severi Imperatoris pene collega misere interit, et cadaver ejus in viam contumeliose projectum. Ita Zonarar, tom. II *Annal.*: «Inter tot obscuris fortunae non satis cauta mortalitas est, » ait Curtius, lib. VIII. Merito exclamat Seneca:

O regnorum magnis fallax
Fortuna bonis! in praecipiti
Dubioque nimis excelsa locus,
Nanquam placidam sceptrae quietem,
Certamine sui tenere diem.

«Arborea magna, ait Curtius, diu crescent, una hora extirpantur. Stultus est, qui fructum aeternum spectat, altitudinem non metitur. Vide ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehenderis, decidas. Leo etiam aliquando minuarum avium pabulum fait, et ferrum rubigo consumit. Nihil tam firmum est, cui non periculum sit etiam ab invalido. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene: impone fidelitati tuae fructus, facilius eam reges, » Manilius, lib. IV *Astronom.*:

Quid numerum everos urbes, regumque rotas?
Inque rogo Cassium? Praemagnae in litore tranenti,
Cui nec Troja reges? Quis Xerxes, majus et ipso
Naufragium pelago? quid captos agnoscit reges?

Sesostris rex Aegypti, curru aureo vectus, jussit illum trahi a quatuor regibus a se devictis, quorum unus oculos in rotas assidue conjiciens, rogatus ab eo cur id faceret: Miror, ait, rotam volendo, nunc in sublime attolli, nunc ad ima deprimi. Intellexit Sesostris notari ab eo inconstantiam fortunae et felicitatis inmutabilem: quare eandem sortem sibi obtinere posse considerans, statuit ne illi posthac currum traherent. Ita Nicophorus, lib. XVIII, cap. xxix. Huc facit illud Juvenalis, *satyra 7*:

Si fortuna volet, fies de rhetore consul.
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.

Quocirca prudenter monet Ausonius:

Fortunam reverenter habe, quicumque repetes
Dives ab exitu progrediare loco.

Plura haec de re dixi *Eccli. cap. x* fere toto.

15. VIDI CUNCTOS VIVENTES, QUI AMBULANT (velut antambulones, omnes et pedesque) SUB SOLI, CUM ADOLESCENTE SECUNDO (SYTUS, *repositus*) QUI CONSERGET PRO EO. — Septuaginta, qui stabit pro illo, scilicet rege senex, patre suo, de quo sermo processit vers. praecedent. Unde Campensis, *vili maximo numero homines sequi adolescentem illum; qui sent in regno successurus est*. Minus recte Chaldaeus hanc gnomem arlat ad Roboam et Jeroboam: «Dixit, inquit, Salomon propheta in spiritu propheticae a facie Domini: Vidi cunctos viventes, qui ambulat in sapientia sua, ut remant Roboam sub sole, et dividant regnum ejus, et detur Jeroboam. Verumtamen cor tribus Benjamin, et Juda, fecit perfectum cum adolescente Roboam filio suo, qui fuit secundus in regno suo, ut consurgeret et regnaret in loco possessionis suo in Hierusalem (1). »

Pergit vanitatem regnorum et regum ostendere, ex eo quod subdit regem senescentem, quasi mox mortuum, deserant, et filium ejus, adolecentem a rege secundum, ideoque eo mortuo regnaturum, sequantur, stipendium, honorem, ejusque gratiam ambiunt, utpote a quo majora et diturniora sperent. Videtur Salomon id fieri in patre suo Davide, quem senem deseruit pene totus Israel, secutus Absalonem filium, regnum patris invadentem, II *Reg. xv, 13*. Idem expertus fait in

(1) Vers. 15 et 16. Resonantius, *vili ego omnes viventes qui ambulat sub hoc sole, esse cum pueri haec secundo (secundus dicitur puer ille septuaginta respectu habito ad regem senem), qui stat constitutus, loco ejus regis stolidi. Non est factis cum populo, omnibus, suam, ante quos erat, quorum dux erat ille puer senius rex constitutus. Maurer, tamen edidit omnes viros ambulantes sub sole cum adolescente, comparatos cum adolescente, secundo rege, qui surrecturus erat loco ejus regis senioris; non est factis universo populo et omnibus qui fuerunt ante eos, id est, ingens et innumerabilis est multitudo hominum, qui ante eos (utrumque regem, senem et adolescentem) vixerunt, et quos oblitio obruit; etiam posteriores non gaudent de eo, rege adolescente, etc.*

seipso; nam eum velut senem delirantem sprevit populus, et ad Roboam filium respexit, quia ipse « ex luxuria et idololatria factus est abominabilis suo populo, et contemptui habitus etiam a suis servis, » ut ait D. Thomas, lib. III *De Regim. princip.* cap. viii.

Ratio-
nia, de-
vitas et
spes.

Ratio est duplex, scilicet novitas et spes. Omnes enim aulici, æque ac plebei, avidi sunt novitatis; unde pertesi diuturni regni regis sui, ejusque mores fastidientes, et forte ab eo lesi, ad novum juvenemque regem sese convertunt: præsertim quia senes sunt avari, morosi, teitici; juvenes vero solent esse liberales, animosiores, ac majus dare specimen magnarum rerum, initio regni; hic ergo eis videtur novus beneficæque Jupiter, hoc oriens liberalitatis sidus. Spes, quia qui a rege senes jam dilati sunt, plura ab eo non sperant; a juvene vero noviter regnato, nova et majora expectant. Hisce aliisque de causis semper gravis et molesta est aulicis, populoque longa principum vita et potestas, uti Romæ ad oculum subinde veniunt.

Nota est sub sole, quia sicut sol oriens post longas noctes tenebras oculis intuentium gratissimus est; sic et novus rex subditis senem regem pertesit. Unde Pompeius, cum Sylla sibi abnueret triumphum, respondit: « Ignorat Sylla quod plures adoret solem orientem, quam occidentem. » Quo audio, Sylla exclamavit: « Triumphet. » Ita Plutarchus in *Vita Pompeii*. Aulici ergo et populus circumagitur cum principibus novis, sicut helioproterum sese convertit et circumagitur cum sole; quare eis non confidunt reges et principes. Vere Seneca: « Pauci reges, non regna colunt. » Et Timotheus apud Athenæum, lib. III: « Non cano vetera: nova si quæ sunt, eadem et meliora. Jupiter, qui juvenis est, regnat: olim Saturnus imperabat. »

16. INFENTIS NUMERUS EST POPULI OMNIUM, QUI FUERUNT ANTE EUM (Hebræa, ante eos; Symmachus, ante utrumque, scilicet regem senem, et filium adolescentem); ET QUI POSTEA FUTURI SUNT, NON LETABUNTUR IN EO, SED ET HOC VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS. — Hebræa, non est finis omni populo, universis qui fuerunt ante illos; et etiam novissimi vel sequentes non gaudebunt in eo: quia etiam hoc vanitas et malitia spiritus; Septuaginta, presumptio spiritus; Syrus, perturbatio spiritus; Arabicus, nomine confusio omni populo erat, et omnibus qui processerunt eos; et nunquam posteri gaudebunt eo: propterea hoc est vanum, et afflictio spiritus. Chaldæus pergit hæc adaptare Roboam, quem ob duritiam fastidientes Fræditæ, creaverunt regem sibi Jero-boam, quod valde afflixit Roboam. Jam

Primo, plane sic exponas, q. d. Infinita, id est plurima, et quasi innumerabilis fuit hominum turba, quæ reges priores, qui fuerunt ante hunc adolescentem regem, ejusque patrem jam senem, secuta, illis adulata est, et applausit; posterique quoque qui plurimi erant, hunc adolescentem non

videbant, nec incidentem prosequuntur festivi acclamationibus, equis, rhedis, curribus; quare non est quod ipse juvenititer hoc suo regno exsulset et insoleat, utpote a paucis honorato cognitoque modice duraturo, et ad alios transferendo. Igitur regnum et rex juvenis, ejusque applausus et triumphus, mera sunt vanitas et afflictio spiritus. Si sapit ergo, dicit sibi: Ecce jam quidem regno potior, mihi quæ ut regi lotus populus applaudit; sed quanta jam elapsa sunt sæcula, in quibus nulla fuit mei notitia! quot jam sine fine mortua sunt hominum millia, qui de me, neque vel fama, vel nomine quidquam cognoverunt! quanta item in sæculis post venturis erit hominum multitudo, apud quos, vel nulla omnino, vel admodum tenuis, atque ea apud paucissimos erit mei memoria! Quid igitur gestire volo, quasi magnum aliquid tenens, aut quid exultare, quasi beatus; cum potius tanta hæc præsens exultatio, mihi ita perpendenti veretur in afflictionem spiritus?

Secundo et pressius, q. d. Infinita fuit populi multitudo, omnium scilicet qui fuerunt ante eos. Hebræa, ante faciem eorum, id est qui velut ante ambulones, honoris causa, cum gaudio, pompa et plausu præcesserunt regem adolescentem, ejusque patrem olim juvenem; sed posteri id non faciunt, nec letabuntur in eo, eo modo quo solet populus in rege suo oblectari et exultare, sed eum vel deserent et fastidient, utpote pariter jam senescentem, aut dure et tyrannice regnantem, aut ex propria levitate oblivioni tradent, utpote jam mortuum et sepulchrum; sicque ad alium, qui successit, transibunt. Vide ergo hic vanitatem regni et regum: nimirum « sic transit gloria mundi, » instar stuppe æcense. Unde Campanensis vertit, non minor fuit numerus eorum qui senem hunc olim sequeretur, quam regno præficeretur: ita et potestas hujus qui nunc tantopere plæret, gravis videbitur posterioribus; quare et ambitus ille suum habet vanitatem et aulicam teitiam.

Huc perlinet expositio Titelmanni et Clarii, qui censent adolescentem secundum esse puerum sapientem de quo vers. 13; utrobique enim in Hebræo est וְיֶלֶד *yeled*, id est puer, juvenis, adolescens. Sic ergo exponunt: Vidi maximo numero homines illum sequi adolescentem, qui regi seni et stulto successurus est. Præcessit etiam ante juvenem eundem multitudinem innumerabilis eorum qui senem assecrabantur; sed postea gravata est illius potestas, ideoque deservierunt ab eo. Ad eundem modum rex novus, qui pro alio assumptus est, quamvis habeat in principio qui de eo gaudio plausuque adærescant, postquam tamen fuerit in regno confirmatus, non letabuntur illi in ipso, sed incipit etiam videri gravis, perinde ut præcedentis auctoritas et potestas. Fili autem hoc, vel successoris vitio, quoniam non qualis futuris videbatur, cum assumeretur in regnum, permanet, sed in tyrannidem vergit, ob

quam prior abjectus est, aut etiam in majorem; vel subditiorum, qui sine causa murmurant, licet minus eos tractet, quam prior; aut cum sint juvenes, ideoque non experti sint tyranni dem regis prioris, hinc non letantur in successore, sicut letantur ii qui sub priore vixerant, et dura ab eo passi sunt. Duas alias expositiones offert Titelmanni ex Hebræo; sed quia a Vulgata dissonant, hinc eas omitto. Consule eum, si libet.

Summa significat quanta sit vanitas regnorum et regum, utpote in quibus nulla sit firmitas et constantia, sed necesse sit perpetuis angis curis, timoribus, sollicitudinibus, suspitionibus, odiis, insidiis.

Porro Thaumaturgus aliter exponit, aliamque vanitatem suggerit, scilicet morositatem et lividiam, quam rex adolescens ob favorem populi apud patrem senem, ejusque consiliarios et aulicos incurrit, adeo ut propterea subinde principatu deiciatur, vel veneno perimatur, uti hoc sæculo non semel factum vidimus. Sic ergo vertit, nunquam enim evenit, ut qui juveni quidem, cæterum cordato, subsunt, malitiose vacent saltem majores natu. Est enim illud proprium senum, ut morosi sint adversus adolescentiores, atque adeo etiam erga mores et acta junioris principis, laudantes semper actum tempus.

Allegorice S. Ambrosius, *De Instit. Virg.* cap. xi et xii, legens per interrogationem hoc modo: « Vidi universos qui vivunt, qui ambulat sub sole cum juvene secundo; quis resurget pro eo? » Juvenis secundus, inquit, est Christus, qui est primus secundum divinitatem; secundus autem secundum carnem, quia post Adam, juxta illud: « Primus homo de terra terrenus, secundus homo de celo caelestis, I Cor. xv. Quis enim pro Christo resurget, cum ille pro omnibus resurrexerit, et in illo omnes resurrexerint, atque adeo etiam erga mores et acta junioris principis, laudantes semper actum tempus. »

SED ET HOC VANITAS ET AFFLICTIO SPIRITUS. — Syrus, perturbatio spiritus; alii, tormentum spiritus. « Hoc, » scilicet mobilitas populi nunc cum rege patre, nunc cum filio ambulantis, illicque applaudentis; nam cum relicto patre ad filium se transferi, subinde iram et vindictam patris incurrit, ut ab eo dure tractetur, vel graviore pena muletur, ut omittam ambitum hunc magnam habere servitum, molestias et tædia. Ita Hugo Victorinus, Clarus, Vatablus et alii.

Secundo et magis genuine, « hoc, » scilicet regnum et plausus regis adolescentis, quod scilicet omnes viventes ambulat cum adolescente se-

cundo; » hic enim plausus est aura popularis, quæ cito sive ætate et senio, sive mobilitate vulgi, sive regnandi vitio, libidine et fastu deflorescit, marcescit, mutatur et evanescit; tuncque adolescentem, cum videt se a suis deseri, cruciat et affligit. Unde Symmachus vertit, sed hoc aura est et passio venti. Plausus enim populi et acclamationes non sunt aliud quam levis aura et ventus, qui cum sonitu preteripit et abit. Ita Hæro Cardinalis, Lyranus, Cajetanus, Titelmanni et alii; qui tamen id arctant ad adolescentem regnum patris invadentem, uti facit Absalom.

Moraliter, discite hic quanta sit regni, regalis propærie et nobilitatis vanitas, quam proinde apposito burdonis et muli apologo oculis subiecit Cyrillus, lib. II *Apolog. mor.* cap. xix, cui titulus

Contra superbientes ex progenie seu nobilitate: « Cum burdo, inquit, mulo occurrisset, cum spernendo se jactabat, quod a meliori patre genitus esset; cui mox ille, armati pedis calce retento, cum acuminis rationis respondit ac dixit: Quidnam tibi inde amplius est, cum sis burdo? Bonum enim aut malum generationis ex assimilatis genitoribus existit; ubi ergo hæc conformitas attollitur, nihil, unde sis, differre videtur. Nam de dracone draconites pretiosissima gemma oritur, et de gallo serpentem nequissimus basiliscus generatur. Medicinalis rosa de spina prodegit, et aurum de sulphure gignitur, et de flamma perlicida leter fumus suscitatur. Sed quoniam ex patre extolleris, is te quasi alterum asinum confunditur genuisse. » Idipsum deinde ratione a priori demonstrat: « Igitur cum vera nobilitas tam in corpore rebus, quam in spiritualibus, non sit aliud quam virtus possessa, mihi pluris est equina fortitudo, quam tibi tantum generatione gaudere. Cæterum dum ex nobilitate carnis erigeris, mox dignitate tam glorificatum anime ventosa visio-tate perdis; et sic ex pretiositate vilis, ex luce multosus efficitur, ac de bona reus non-bilitate vilescis; acciditque tibi sicut albedini, quæ argenteo denigrat, et flamma luciditate fodator. Sed aurum quanto pretiosius, tanto humiliter pondere gravior est; et lapis mirum etiam pretiosior existit, uti et lignorum minima sunt pretiosissima, ut balsamum et cinnamomum. Vera igitur et gloriosa nobilitas est humilitas, que ima sursum elevans mentem beo conjungit, virtute replet, gratia deificat et sapientia illustrat. Quibus dictis, obitici. »

Nota: Burdo vocatur, qui ex equo et asina nascitur, ait Siphontinus: multus vero, qui ex asino et equa gignitur, teste Plinio, lib. VIII, cap. xliii.

17. CUSTODI FIDEM TUEM INCREDIENS DOMUM DEI, ET APPROPINQUA UT AUDIAS. MULTO ENIM MELIOR EST OBEDIENTIA, QUAM STULTIOR VICTIME, QUI RESCIUNT QUID FACIUNT MALI. — Aliqui in Septuaginta pro *καλῶς*, id est malum legunt *καλῶς*, id est bonum: Ita Complutenses, quos secutus Syrus vertit, quia ignorant facere quod est bonum; et Arabiis, quoniam ignorant quod faciunt optimum. Ubi dicitur

Apote-
thes, oo-
bilitatem
eos in
rebus,
sed in
virtute
constan-
tes.

Arantem et Syrum passim sequi Septuaginta, ac proinde versiones utriusque non esse factas ex Hebraeo, sed ex Graeco Septuaginta. Hi enim graece scribentes, ob monarchiam Graecorum ubique tum dominantium, qui linguam Graecam toto orbe sparsere, gentibus omnibus Hebraeum idioma ignorantibus innotuere. Verum perperam hic legitur καλὸν pro κακόν, id est bonum pro malum; Hebraice enim עָרַר, id est malum, ut habet Vulgata latina (1).

Haec verba pertinent ad initium capituli sequentis; unde Cajetanus hic inchoandum censet cap. v. Congruè transit a vanitate regum et regum ad veritatem Dei, tum ad reges doceat modestiam et humilitatem, ne regno superbiant, sed regnum sceptromque, ut par est, dimisse et reverenter submittant Regi regum et Domino dominantium; tum ut subditos doceat meliori reverentiam Dei ex reverentia quam exhibent regibus. Si enim tanto concursu, plausu, studio, gaudio sequuntur adolescentem secundum, quanto sequi debent Deum regem universi? Rursus hoc referas ad novam speciem vanitatis, quae erigitur in victimis rebusque sacris, q. d. Adeo vanitas rebus omnibus humanis se ingerit et inserit, ut religioni quoque et sacrificio pedem inferat. Nam nulli sunt, qui ex legis montique hujus mei omissione, victimas offerunt Deo indignas et impuras, quia ipsi indigne et impure ad eas accedunt, quae magna est vanitas, imò sacrilega impietas, ideoque Deum non placat, sed potius ejus offensam magis irritat. Coactor est nexus Lyran, qui censet hic nova ratione probari regni temporalis contemptum, ex eo quod Deus sit summe reverendus et colendus, regia vero potestas retrahat reges a Dei timore, reverentia et cultu.

Alludit ad ritum ingrediendi et orandi in templo. Hebraeorum enim sacerdotes, ob reverentiam templi, nudis pedibus illud ingrediebantur, orabant et sacrificabant; unde pedes ante ingressum abluiebant, nitoris et reverentiae causa, ut ostendi Ezech. xxx, 19. Idem jam ante a Deo jussum fuerat Moysi, ut accessurus ad rubum, in quo per flammam ignis apparebat Deus, poneret calcamenta, Ezech. vii, 2, et Josue cap. v, 16. Ubi Abulensis asserit eum fuisse antiquiorem morem, ut sacra loca non intrarent calcatis pedibus, atque Judaeos (etiam laicos) id observasse post illam admonitionem augeli factam Moysi. Idem docet Ribera, lib. II De Templo, quod intellige de laicis religiosioribus. Hi enim religionis ergo, sponte

Judei nudis pedibus in templo, cur?

sua Mosen et sacerdotes imitabantur, ac nudis pedibus, vel certe positis calcis ex corio factis, templum ingrediebantur, etiamsi nulla lege divina, vel humana, ad id obligarentur, uti Beronien floridus uxorem nudipedem templum ingressam narrat Josephus, lib. II Belli, cap. xxvi. Hinc illud Pythagorae: «Nudis pedibus rem sacram facit, et adorato.» Et Plato scribit triumphantes in ipso triumpho fronde coronatos, lotis manibus, nudis pedibus sacrificasse. Hinc et nudipedalia sacra, quorum meminit Tertullianus, Apolog. cap. xi, de quibus vide Gyraldum, syntagm. 10. Porro Egyptiorum sacerdotes sacrificabant calcatei non corio, sed papyro, puritatis ergo, teste Herodiano, lib. II et V: Sacerdotes calcatei lino. Apud Romanos quoque nefas erat Flamini uti calcis coriaceis, teste Gellio, lib. X, cap. xv. Ratio eorum erat, quod impurum et indignum videretur, ut morticina, id est calcis facti ex pellibus animalium mortuorum, tangerent terram sanctam. Vide dicta Ezech. cap. iii, vers. 2, et cap. xxx, 19. Neque id mirum; nam prisci Romani non tantum in templo, sed domi quoque, et in urbe, sine calcis incedebant nudipedes, ut docet velus Schollastes Juvenalis, ad vers. 111 satyr. 1; quin et insignes belli duces ac philosophos, ut Phocionem, Germanicum, Socratem, Diogenem, Cato-nem, Uicensem, nudis pedibus passim incesse, tum paupertatis, tum tolerantiae studio, docet Plutarchus in eorum Vita, qui et in Vita Lycurgi scribit Spartae juvenes omnes calcis caruisse, quo expeditiores essent. Adde et castiores; nuditas enim pedum ex frigido aere, et terra quam calcant, pedes frige facit, qui per sympathiam frigus sum partibus ceterisque membris communicat, itaque in eis ardorem libidinis restingunt. Hinc multi Religiosi nudipedes incedunt, tum humilitatis et penitentiae, tum castitatis causa.

Sensus ergo est, q. d. Cum ingrederis templum, vide ut modeste, honeste, caste, pure et reverenter incedas, cogitans te ingredi locum sacrum, in quo residet divina Majestas, ut illam adgas et audias; quare custodi pedem tuum, ne preceps sis, neubi ad lapides et offendienda impingat, ait S. Hieronymus et Salonus. Alii, ne offendas ad gradus quindecim, per quos ascendebatur ad templum; ne superbe et pompato incedat, ne quo evagetur ad profana, vel illicita, ut euriose spectet feminas, nobiles, etc., sed totum se pes, et pedis rector animus colligat, ad adendum sacra, ut illis totis intendat. Sub pede enim oculos, aures, totumque corpus et mentem intelligit per synecdochem. Nominat tamen praeter pedem, quia pedum est ingredi in templum: custodia ergo pedum significat hic omnem modestiam, attentorem et reverentiam, tum externam, tum internam, debitam Deo in templo. Ita Olympiodorus: «Custodi, inquit, totum corpus tuum (a parte enim totum significavit), nec instrumentis eiusdem, quibus templum Dei frequentas, theatrales adito ludos,

Romani nudis pedibus.

Religiosi nudis pedibus in templo, cur?

et obscena spectacula, et impia et profana loca. De aliis quoque humani corporis membris idem intellige faciendum.» Hinc esse sensum liquet ex eo quod subditur: «Et appropinqua ut audias,» q. d. Custodi pedem ne quo evagetur, sed recta tendat ad audiendum Deum, ejusque legem quae ad altare a sacerdote legitur et explicatur. Unde Compensis vertit, ingressurus domum Dei, vide diligenter quid faciendum sit tibi, et scito illum proximo tibi adesse et audire cuncta.

Symbolice, pedes, teste S. Gregorio, S. Augustino, S. Basilio, Origene, S. Hieronymo et aliis passim, notant affectus animi: quia sicut pedibus itur ad locum destinatum, sic affectibus itur ad opus externum. Affectus ergo sunt quasi pedes anime, quibus ipsa se movet et promovet ad opus. Sensus ergo est, q. d. Ingressurus templum custodi pedes, id est affectus anime, ne quid animo volvas aut concupiscas Deo indignum, vetitum, ingratum; sed omnes cogitationes et affectus converte in Deum, ad eum puro corde, affectu et desiderio colendum, invocandum, amandum. Hinc Chaldaeus vertit, tu, fili hominis, custodi pedes tuos in tempore, quo teris in domum sanctuarii ad orandum, ne venias eo plenus peccatis ante Dominum, quod concitaris. Quocirca custodiam hanc pedis David explicat per innocentiam manuum et munditiam cordis; utramque enim requirit in ingressurus domum Dei, dum Psal. xiv, 4, interrogat: «Domine, quid habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?» ac respondet Psal. xxiii, 3: «Innocens manibus et mundo corde, qui non accepit in vano animam suam,» id est qui nullam rem vanam et caducam concupiscit, ait Theodoretus: «hic accipit benedictionem a Domino: et misericordiam a Deo salutari suo.» Et Isaias, cap. xxxiii, 15: «Qui, inquit, ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui praeiicit avaritiam, etc., regem in decore suo videbit oculi ejus.» Vide ibi dicta. Ita Salonus: «Quamvis, inquit, semper honeste et cum timore ac silentio debeamus ingredi domum Dei, tamen non pedem corporis docet custodiendum, sed pedem anime, i. e. gressum mentis, ut in conspectu Dei mundas preces effundamus. Quando igitur ingrederis Ecclesiam, custodi gressum mentis tuae, ne offendas in malis cogitationibus, ut oratio tua pura dirigatur.» S. Gregorius Neocesariensis: «Porro, inquit, quantum ad Ecclesiam attinet, principio vite tuae rationem habe, ut ipse rectus ambulans.» Consonat S. Hieronymus dicens: «Procepta vite dat, et non vult offendere cunctas ad Ecclesiam. Non enim ingredi in domum Dei, sed sine offensione ingredi, laudis est.» Uberius Titelmannus: «Cum ingredi volueris domum Dei, vide ut mundus sint pedes tui, neve (ut in Proverbio est) illotis pedibus in eam irrasas, non attendens reverentiam quam debes exhibere erga locum sanctum divino cultui dedicatum, et divina praesentia peculiariter sanctificatum.» Hoc est custodire pedem, obser-

vare ut mundus introeas. Hinc illud Davidicum: «Domum tuam doceat sanctitudo, Dcmine,» Psal. xcii, 3. Cajetanus ex Hebraeo vertit, domi tuae pulchritudo sanctitas, hoc est, inquit, sanctitas et pulchritudo christianorum.

Ratio a priori est, quod templum sit locus D j consecratus, ideoque Dei domus et thronus: quare scint reverentur regem in throno, ita longe magis Deum in templo, velut domo sua residentem. Origo hujus nomenclaturae, quod scilicet templum sit et vocetur domus Dei, fuit visio Jacobo a Deo exhibita, Genes. xxviii, 12: Jacob enim «vidit in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens caelum: angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam; et Dominum innixum scalae, etc. Cumque evigilasset de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Pavensque: Quam terribilis est, inquit, locus iste! non est hic altus, nisi domus Dei, et porta caeli. Appellavitque nomen urbis Bethel,» id est domus Dei. Chaldaeus vertit, quam terribilis est locus iste! non est locus communis, sed locus ad quem voluntas est ab ipso Domino, id est quem ut sibi placitum voluit, et ex omnibus selegit sibi Deus. Huc facit praecipuum ac promissum a Deo factum Moysi, Levit. xix: «A sanctis (Hebr. a sanctitate, id est a sanctuario) meis timebitis.» Et cap. xxvii, 41: «Ponam tabernaculum meum in medio vestri, etc. Ambulabo inter vos, et ero Deus vestri, vosque eritis populus meus.» Et Psal. lxxv, 1: «Sanctum est templum tuum, mirabile in equitate.» Et Jeremiae cap. vii, vers. 2: «Audite, inquit, verbum Domini, omnis Juda, qui ingrediimini per portas has, ut adoretis Dominum. Bonas facite vias vestras et studia vestra: et habitabo vobiscum in loco isto.»

Hinc particulatim nonnulli exponunt hunc locum de odio, q. d. Ingressurus templum, custodi pedem, id est, affectum anime tuae ab odio; sed «si frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offers munus tuum,» ut jubet Christus Matth. cap. v, 23 et 24. «Deus (enim) charitas est: et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo,» ut ait S. Joannes: I epist. iv, 16: quare si accedis ad Deum, qui pura mercede est charitas, odium omne deponas necesse est.

Moraliter, hic discis quanta reverentia debeat locis sacris. Audi S. Chrysostomum, hom. 15 in epist. ad Hebraeos: «In aulam, inquit, regiam intraturus et habitu, et oculis, et inessu, et in eunctis aliis componis et ornas temetipsum; in templum autem ingressurus, ubi vera aula regia est, et talis qualis est coelestis, rides? Tu quidem non vides: audi tamen, quia angeli praesentes sunt ubique, maxime in domo Dei, ubi astant regi, et omnia plena sunt incorporeis illis virtutibus.» Quin et Seneca, lib. VII Natur. Quaest. cap. xxx et xxxi: «Egregie Aristoteles ait nunquam nos

Moraliter, de reverentia templi.

verecundus res esse debere, quam cum de Deo agitur. Si itaque templum compositum, sed ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, in omne argumentum modestie fingimur, quanto hoc magis facere debemus, cum de sideribus, de stellis, de Deorum natura disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter aut ignoranter affirmemus, aut scientes mentiamur? Exterior enim morum compositio, vel dissolutio, index est interne, juxta illud *Eccli. xix. 27*: « Amicus corporis, et risu dentium, et ingressus hominis enuntiat de illo. » Vide ibi dicta; ubi inter alia recensit S. Ambrosius noluisse quemdam promovere ad sacerdotium, eo quod ex immodesto et inconcinnio ejus incessu, conjiceret similes mentis immodestiam et inconcinnitatem, qualem revera postmodum in eo deprehendit. Ita S. Martinus, teste Sulpicio in ejus Vita, in templo semper genulexus vel erectus, nunquam vero sedens, pallido pavidoque vultu orabat. Rogatus causam dixit: « Non timebo consensio hic coram Deo meo? » Unde meruit ut crebro videretur a S. Petro, Paulo, Agnele, Thecla, et ab ipsa B. Virgine. In templo enim, quasi in domo, Deus ut paterfamilias residet, ut reverenter ad se accedentes audiat et exaudiat: quare ibi est liberalissimus, et omnia quae rite postulantur concedit, juxta illud: « Quoniam illic (in templo ait Theodoretus) mandavit Dominus benedictionem (omnis boni copiam), et vitam usque in seculum, » *Psal. cxviii. 3*. Unde idem aiebat: « Replebitur in bonis domus tua, » *Psal. lxviii. 5*. Et: « Ego autem in multitudine misericordiarum tuarum introbo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, » *Psal. v. 8*. Idem postulat et impetrat Salomon toto cap. viii, lib. iii Regum.

Ex adverso, Deus irreverentiam et injuriam templo illatam excidio gentium et urbium ulciscitur, ubi haec de causa excidit Hierosolymam et Judaeos. Unde Sophonia, cap. i, vers. 9: « Visitabo, ait, super omnem qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum Domini iniquitate et dolo. » Et *Amos* cap. vi, vers. 1, vers. 1, vers. 1: « Optimates ingredientem pompaticè domum Israel. » Quare ubi violantur templa et religio, ibi certa imminet Dei ira et vindicta, certumque urbis vel religionis excidium.

Anagogice pes significat vias, modos, rationes vivendi, quas purissimas conservare oportet, ut ingrediamur in templum caelestis Jerusalem. Nam « non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut ab ominationem faciens, et mendacium, » *Apoec. xxi. 27*. Si ergo eo ingredi optas, si regnare cum Christo, animi affectus comprime, eosque velut mentis pedes illic dirige, audiendo et obediendo praeceptis Dei, cui hoc placet magis quam victimæ stultorum.

ET APPROPINQUA UT AUDIAS. — Ex Hebraeo varie vertunt. Primo Arabicus, *autelo proximum tuum ad*

audiendum, q. d. Alacer et celeriter adito templum. Secundo, Syrus et alii haec necunt sequent. hoc modo, *accelere ad audiendum melius est donis stultorum; quod Noster vertit, melior est enim obedientia quam stultorum victimarum. Tertio*, Vatablus et Pagninus, *quia propinquat et propior est (Deus) ad audiendum preces tuas magis quam ad suscipiendum sacrificium quod darent stulti. Quarto*, Campensis, *et scito illum (Deum) proxime tibi adesse et audire cuncta.*

Verum melius vertit Noster, *et appropinqua ut audias*, quia Septuaginta vertunt, *et propinqua ad audiendum*. Et Chaldaeus id explicans: *Applica, ait, aurem tuam ad suscipiendam doctrinam legis a sacerdotibus et sapientibus; templa enim eriguntur tres ob fines: primo, ad sacrificandum; secundo, ad orandum; tertio, ad audiendum Dei verbum. Docet ergo ad templum eundem magis hoc fine, ut audiamus Deum, quam ut audiamus a Deo, imo ut audiamur a Deo, prius debere audire Deum, tum exterius, tum interius per sanctas inspirationes cordi nostro loquentem: qua ratione enim Deus audiet eum qui ipsometum loquentem audire renuit? Vis ergo ut te audiat Deus, tu prior audi eum, ejusque legi et jussis obedi. T3 ubi vide *ad audiendum* hic sumitur in actu perfecto, significatque audire ita ut obedias. Audit igitur, qui auditu percipit, et obedia custodit opereque exsequitur. Hic enim habet aurem audientem et obedientem, ut ait Moyses *Exodi* cap. xx, vers. 18, et Salomon *Proverb. cap. xxi. 12*. Sive aures audiendi, ut ait Christus *Matth. cap. xi. 15*. Noster Lorianus hebraeum קרב *karob*, id est *appropinqua*, vertit, *offer*; inde enim קרב *carban* vocatur *oblato*, quia res offerenda appropinquat altari et Deo. Summa enim oblatio est audire et obedire Deo. Verum קרב *karob* significat offerre in conjugatione *Hiphil*, non in *Cal*, uti est *karob*. Adde non recto diei: « Offer victimam ad audiendum. » Mystice Hugo Cardinalis: T3 *appropinqua* significat, inquit, ei exeundum de terra, qui res caelestes velit audire.*

MULTO ENIM MELIOR EST OBEDIENTIA QUAM STULTORUM VICTIMAE. — Hebraea concise sic habent, *et appropinqua, vel appropinquare* (Hebraeum enim קרב *karob* tam est modi infinitivi, quam imperativi) *ad audiendum pro dare stultos sacrificium*, quod Noster clare explicuit dicens: « Appropinqua Deo; multo enim melior est obedientia (qua audis et obedis Deo) quam stultorum victimarum. » Et Syrus, *accelere ad audiendum melius est donis stultorum*. Et Arabicus, *et sit sacrificium tuum praestantius donis insipientium*. Et clare Chaldaeus *applica aurem tuam ad suscipiendam doctrinam legis a sacerdotibus et sapientibus, et non (facias) sicut stulti, qui hostias pro peccatis offerunt, neque tamen se a nefandis operibus, quae manibus suis quasi concluserunt, avocant*. Sic et Tigurina. Paulo aliter S. Hieronymus in veteri editione: *super domum enim insipientium, inquit, sacrificium*

ferum, scilicet erit, si Deum audieris, uti praecessit, quod eodem redit. Campensis vero haec refert ad dialogum et multiloquium in orando: Et scito, inquit, illum tibi proxime adesse et audire cuncta: quare cave ne multis verbis cum illo agas stultorum more.

Porro, « melior est obedientia quam victimarum, quia per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria maculatur, ait S. Gregorius, XXXV *Moral. x*. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante oculos ejus repressa arbitrii sui superbia, gladio praecipi se immolat. » Quanto ergo praestat voluntas carne, tanto praestat obedientia victimis. Vide Hieronymum Platam, lib. I *De bono status relig. cap. i*, et lib. II, cap. v.

Simile est illud: « Misericordiam volui, et non sacrificium, » *Osee vi. 6*. Vide ibi dicta. Hanc Salomonis sententiam primitus Samuel objecit Sauli, qui praer voluntatem Samuelis et Dei sacrificarat, inquit, quod regno et vita privatus est: « Melior est enim, inquit, obedientia quam victimarum: et auscultare magis quam offerre adipem arietum; quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare; et quasi scelus idololatrie, nolle acquiescere. » *1 Reg. xv. 22*. Ubi vide S. Gregorium. Deinde eandem usurpavit David in persona Christi: « Sacrificium, inquit, et oblationem nolui: aures autem perfecisti mihi, etc. Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei, » *Psal. xxxix. 7*; *Hebr. x. 5*, ubi fusa haec de re egi.

QUI NESCIUNT QUID FACIUNT MALI. — Pagninus, *qui nesciunt facere voluntatem ejus, scilicet Dei; hebraeum enim רעה רעה, id est malum chaldaice significat voluntatem: רעה רעה enim chaldaicum, idem est quod hebraice רעה רעה, id est velle complere*. Vatablus, *quia nesciunt facere nisi malum; Campensis, quorum opera sunt ingrata Deo, quae faciunt; Clarius, nesciunt aliud quam facere malum; R. David, nesciunt optare et corrigere malum quod habet sacrificium ipsorum; alius, quia non ipsi scientes (sed ignorantes et insipientes) ad faciendum malum. Sicut enim sciens et sapiens facit bonum, sic ignorans et insipiens facit malum: Hebraea enim concisa sunt, et nonnulla supplenda relinquunt; unde varie verti possunt. Noster cum Septuaginta optime vertit supplendo: quid. Sensus est, q. u. obedientia est melior quam victimarum stultorum, id est impiorum, quia hi etsi victimas in se bonas offerant, tamen multa perpetrant mala*

quae ipsimet saepe nesciunt, vel non advertunt. Adeo enim praecipites feruntur ad expendas suas concupiscentias, ut quantum in eis mali insit, non advertant. Similiter dum offerunt victimas, multa ignoranter et irreverenter in oblatione committunt, ac imprimis quod peccatis opplenti, nec de eis penitentes, sed is immeritantes contra legem et voluntatem Dei eas offerunt, quia ut suis victimis magis Deum offendant, quam placent; sed ipsi haec non advertunt, putantque Deum nudis victimis placari: qua in re graviter falluntur, ideoque insipientes sunt et stulti. Tales et hodie multi sunt apud christianos. Hinc Chaldaeus vertit, *ideo Dominus animo placato ea non suscipiet, cum nec illi inter bonum et malum facere discrimen norint*. Hoc ipsum ignorant esse malum et peccatum, non obedientia et operibus bonis, ait S. Hieronymus, sed donis et victimis emendare velle, quod fecerint; praesumendo se per solas victimas justificari, inquit Cajetanus; et quod in male offendo careat velus discretionis iudicio, inquit Olympiodorus; et quod putant se illa ipsa in re benefacere, ait Carthusianus; quia putant sine obedientia se solis externis muneribus placare Deum, ait Titelmanus, mentium enim Deum esse et sui similibus, quasi Deus placetur donis et xenis, uti placantur homines. Ignorant ergo quid Deo gratum sit, quid ingratum, ideoque lotos se dant externis caeremoniis, nil de interna puritate et pietate curantes. Perversum ergo habent de virtute et de Deo iudicium, ac utrique insipienter injuriam irrogant, dum censent Deum colendum carnis victimis, non in spiritu et veritate adorandum. Denique Thaumaturgus totum hunc versum applicat Ecclesiaste, id est concionatori; sic enim vertit, porro Ecclesiaste est monachus imprimis ut vide sua rationem habeat, et ipse rectus ambulet; deia prae insipientibus praecetur, ut in posterum recepto intellecto, mala opera vitare discant. Verum haec versus ab Hebraeo, Graeco, Latino, Syro et Arabico dissonat.

Ab isdem pariter dissonat, esto minus, Isidorus Clarius, dum vertit, *custodi pedem tuum ingrediens domum Dei qui propinquus est ut audiat. Nades sacrificium stultorum, qui nesciunt aliud quam facere malum; sique explicat, q. d. Proxime adest Deus, ad audiendum omnia tua. Ne eni p. multa verbis cum eo agas, stultorum more: quorum sunt Deo ingrata, quae faciunt omnia, scilicet etiam sacrificia; quippe cum plenas habent manus sanguine, ob rapinas et homicidia.*